

contactu, ille facile cognoscit, DEum omnipotentem suæ voluntatis imperio, movere posse corpora coelestia sine ullo contactu. Deinde altius adscendendo etiam quodammodo cognoscimus, DEum suo omnipotenti voluntatis imperio posse creare substantias varias. Et hoc ipsum est, quod Scriptura S. nobis confirmat Ps XXX II. 9. *Nam DEus dixit, & factum est; Ipse precepit, & adstitit.* Difficultas quam ratio opponit, desumitur ex naturali cursu naturæ, quæ nos docet, creaturas materiales generari per creaturas. Si vero perpendamus, creationem vel omnium rerum primam productionem multum differre a naturali generatione, facile difficultatem illam tollimus. DEus enim omnipotens creator suæ voluntatis imperio creat non solum creaturas sibi quodammodo similes, mentes nostras, vel animas; sed etiam dissimiles, substantias materiales.

§. XXV.

Cum de anima DEo Creatori quodammodo simili loquimur, non intelligimus proprie dictam imaginem & similitudinem DEi, quam Scriptura S. describit, & quæ interiorum virium animæ integritatem & rectitudinem primo homini concreatam denotat, quam amissam esse S. Scriptura testatur; sed respicimus improprie dictam, quam animæ essentia refert, nempe substantiam & potentias intelligendi, volendi, movendi corpus & percipiendi, quæ in corpore fiunt. Quo sensu plures Ecclesiæ patres usi sunt, quorum sententias collegit B. Joh. Gerhard. T. II. LL. Theol. de Imagine DEi §. 26.

§. XXVI.

Possimus plura addere, sed hæc sufficere videntur, quia saltem
tentami-